

Prædestinatione.

I.

Articulus de prædestinatione sine omne incommodo ratione doctrinæ articulis cæteris præmittitur, tanquam immediatum consequens distinctionis voluntatis in antecedentem & consequentem.

II. Non obstante, quod fides in intuitu Divino electionem præcedat. II. Theff. II. 13.

III. Meritum Christi, quod valorem Divinum intimè involvit, eo ipso commodè non potest vocari causa instrumentalis moralis electionis, cum sit meritoria & principalis.

IV. Nec fides causa instrumentalis moralis minus principalis, cum sit instrumentum apprehendendæ gratiæ eligentis passivum, causæ physicæ analogum.

V. Respexit DEus in eligendo fidem hominis finalem, usu Scripturæ loquendo. Hebr. III. 6. 14.

VI. Qui è nostris credentes & electos coincidere docent, ut quamdiu homo sit credens, tamdiu sit electus, quamprimum verò desierit credere, ut ex justificationis, ita & electionis gratiâ excidat, termino tantum electionis aliter utuntur, eumque magis ampliant, in re ipsâ amicissimè nobiscum conspirant.

VII. Neutri autem sententiæ imputandum est, quod contra usus Theologicos peccet, adeoque fundamentum fidei quodammodo convellat.

VIII. Quamquam S. Huberus voluntatem antecedentem cum electione confuderit, adeoque in sententiâ ipsâ nihil dixerit analogiæ fidei adversum, locutio tamen, tanquam formæ sanorum verborum è diametro adversa, tolerari nullo modo debebat.

IX. Nemo unquam nostrorum aliud absolutum electionis decretum Reformatis adscripsit, quam quod ipsi in

D

Syno-